



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Dignitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

& hosti ad sacerdotem pertinet, & non sine licentia episcopi potest predicare. in cap. ad iij. q. 1. & est proprius dispensator sanguinis. Christi in calice, secundum Arc. flor. & dicit S. Tho. 4. senten. dist. 13. q. 1. a. ult. quol. 2. quod adhuc hodie in quibusdam ecclesijs, sanguis per diaconum ministris altaris dispensatur, non autem corpus, quod etiam tangere ei non licet, quia non habet manus consecratas, nisi in necessitate, & de iussu episcopi, vel presbyteri. Imo in extranea necessitate, secundum Verner. quando scilicet presbyter est fessus, vel impotens, potest populo dispensare. c. diaconi 93. d. & ca. ita se. imo S. Tho. videtur velle, quod hoc possit presentare episcopo, vel presbytero, & iubetes, etiam sine necessitate. Peccarent tamen iubendo sine necessitate.

**DIACONVS** indutus vestibus sacris cantandum euangelium potest cantare, in choro non obstante c. in sancta Romana. 92. d. quia ad hoc quod quis incidat in illam censuram, requiritur quod sit cardinalis. Secundum, quod sit in ecclesia Romana, secundum gloss. ibi. Tertio, quod sit iactantia, vel aliis inhonesta causa faciat, aliis non est locus poenae. Aliqui tamen dicunt, quod intelligitur generaliter de quolibet diacono, per d. c. in sancta Romana: quia loquitur generaliter, & in omni ecclesia, sed ex text. patet, quod tantum intelligitur in Romana ecclesia iuxta sensum, in alijs autem consuetudini stare.

## DIGNITAS.

**DIGNITAS** ecclesiastica dicitur administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione, etiam in modicis causis, secundum Per. de Anch. in cle. si dignitatem de preben. Intelligitur in foro contentioso. Unde quilibet rector, seu prior ecclesie collegiate, dicitur habere dignitatem, ut not. Pau. in elem. 1. de elect. & domini de Rota decisione. 166. & talis strictim, & proprie dicitur prelatum ea. cum ab ecclesiasticis de of. ordi. Et ad hoc quod aliqua sit dignitas, quae includatur in

constitutione. capi. multa de preben. requiritur quod sit perpetua, vel possit esse perpetua, sicut prior in religione. Text. in cap. 1. de consuetu. lib. 6.

**QVAMVIS** vicarius episcopi non sit in dignitate, de qua intelligitur dicta ca. multa. tamen est in tali dignitate, ut possit esse conservator, & delegatus Papae supra, Conservator. §. 2. sed quid de prioribus, qui secundum bullam Iulij 2. non possunt durare nisi per biennium, nunquid possunt esse conservatores, cum non possint esse perpetui? Tab. dicit quod sic, de vicario Episcopi. Gemina. in ca. nullus de elec. in 6. idem dicit.

**AS** dignitates appetere, vel quærere liceat? non. Omnes dignitates videntur ad tria genera reduci. Nam cum omnis dignitas habet annexum honorem, vel habeat honorem precise sine administratione, & iurisdictione ut militia in seculo, & status in clero, & hæc potest appeti sine peccato, si timoratur, & propter aliquem bonum finem appetatur, secundum Thom. secunda secundum q. 131. Aut honorem habet & administrationem precise, ut thesaurarius Regis, & ecclesie syndicus, & hanc licet appetere ab eo, qui idoneus est ad talem dignitatem, & bono fine, ut ad sustentationem suam, vel aliorum utilitatem. Aut habet honorem, iurisdictionem, & administrationem: sicut Rex, iudex, & Prelatus, & sic hæc sit secularis, licet appeti modo debito, ut propter utilitatem reip. si scit se habere hæc tria, videlicet amorem reipubl. potentiam, & virtutem, & iustitiam. Si vero sit ecclesiastica cum iurisdictione, & animarum cura, ad quam nullus est dignus, nisi ex Dei gratia, quam nullus scit se habere non licet quærere, nec etiam appetere etiam ad bonum finem, quia tamen aliqui tenent, quod non tantum licet appetere hoc, sed etiam procurare, vide supra amplè, Beneficium. §. 37. 38. 39. Vbi citatur opinio Caieta. Item supra Cathedra. §. 1. & 2. An huiusmodi officia vendi possint, infra Officium. §. 1. dominus. §. 10. An liceat mutare dominis pro huiusmodi offi.

di officijs, vide Thom. ad ducissam Brabantia. & Sil. ibi §. 7.

## DILAPIDATOR.

**D**ilapidator appellatur praelatus, res ecclesiasticas alienans, & male expendens, qui debet deponi, vt in capit. apostolicis. 12. q. 2. Ideo dilapidatore inspecto dari debet coadiutor. in cap. venerabili. de offic. deleg. Hi grauius peccant, pauperum bona infideliter tractantes.

## DISCORDIA.

**D**ISCORDIA quae importat voluntatum segregationem, & charitati contrariatur, ex suo genere peccatum mortale est: secundum Thom. secunda secundae. quaest. 37. quando scienter ex intentione quis a bono diuino, vel proximo, in quo consentire tenetur, dissentit. In re autem modica, vel quando vnus existimat hoc esse bonum, & alius contrarium credit, non est mortale, nisi procedat ex ignorantia eorum, quae quis scire tenetur, vel adiungatur pertinacia, quae sit mortalis: secundum Caiet. ibi.

**2** DISCORDARE in his, quae sunt de consilio, ad quae quis non tenetur sub praecipio, non est mortale: quia non excludit charitatem. Est etiam quaedam mortale peccatum, quando ex discordia infertur notabile damnum proximo in bonis corporalibus, vel spiritualibus, quia hoc est contra proximi dilectionem. Vnde saepe consiliarij, mali ex superbia, vel malo animo mortaliter peccant, nolentes concordare esse cum alijs in bono reipub. vel potius querentes bonum proprium, quam commune. Costat hoc esse maximum peccatum cum talium oblationem Ecclesia repellat. 90. distinct. cap. oblationes.

## DISPUTATIO.

**D**ISPUTARE de fide dubitatio, mortale peccatum est, quia dubius in fide, infidelis est. secundum Thom. secunda secundae, quaest. 10. artic. 7. si autem fiat disputatio ad confundendos errores, vel ad exercitium, sine tamen periculo audientium, vt quando fit inter doctos, est laudabi-

lis. Si autem imminet periculum, vt quando fit inter simplices, non est laudabilis, sed peccatum, & tanto maius, quanto periculum grauius. Et propterea prohibitum est cuiunque laico disputare de fide, & contra facies, debet excommunicari, in c. quicumque. de haeret. §. inhihemus. libr. 6. & eadem ratione prohibetur seculari predicare. cap. sicut in vno corpore. de haeret. & c. de summ. trini. & fide catho. l. nemo. prohibetur nedum laicis, sed & clericis, turbis coadunatis publice disputare de fide. Ideo laicus sciens sub tali poena hoc sibi prohibitum, si disputat, mortaliter agit. Caietan. ibi.

**2** SVSTINENTES opiniones philosophorum, vt Auerrois de vnitae intellectus, & de infinitate temporis, mortaliter peccant, quia sunt directe contra fidem, & est prohibitum in octaua sessione Concilij Lateran.

**3** EPISCOPUS, & inquisitores potentes obuiare huiusmodi enerationibus fidei, & non facientes, mortaliter peccant, cum teneatur, & tamen quodque contenti de sola reuerentia, haec negligunt, secundum Sil. verbo disputatio. in fin. quia ista est notabilis, & perniciofa negligentia.

## DISPENSATIO.

**D**ISPENSATIO secundum Canonistas est iuris relaxatio, & dicitur vulnus, quia ius commune vulneratur. c. ipsa pietas. 23. q. 4.

**2** DISPENSARE potest Papa in omnibus, in quantum dispensatio declarationem dicit, quando oritur dubium aliquod circa articulos fidei, sacramenta, ius naturale, & diuinum. secundum Tho. prima secundae. quaest. 100. artic. 8. ad 4. & Archid. Flor. 2. parte tituli. 11. c. 1. & hoc modo sumitur large dispensatio, sed proprie dispensare, est facere, quod oppositum legi bene possit fieri. Commutatio vero est, quando vnum pro alio fit, vt elemosyna pro ieiunio, vel huiusmodi.

**3** PRAECEPTA decalogi sunt omnino indispenabilia, quia continent intentionem.